

cientia evidentiae sufficientis ut sufficientis; et iudicium propter perspectam evidentiam prolatum. At iudicium est verbum complexum. Perspicere sufficientiam evidentiae est actus intelligendi reflexus unde dicitur verbum complexum. Ipsa denique evidentia sufficiens, quatenus quemlibet intellectum movere potest ad sufficientiam perspicendam, est movivum, quatenus vero actu intellectum movet, est obiectum movens.

At eadem prorsus est analysis circa primam intellectus operationem. Qui enim primo definitionem invenit vel inventam addiscit, non caeca quadam spontaneitate fertur sed ingenii acuitate et intelligendi facilitate. Sit definitio circuli: locus punctorum quae in eodem plano iacentia aequaliter a centro distant. Cur ita definitur? Quia manifestum est tum lineam necessario esse perfecte rotundam si omnes radii sunt aequales tum etiam eam rotundam esse non posse si ulli radii inaequales sunt. At ubi manifestatur? An perspicitur nexus inter conceptus abstractos? Minime, nam unicus est radius abstractus, unicum pariter est punctum abstractum; in definitione vero agitur de quadam infinitate punctorum et radiorum. Praeterea, necessaria illa rotunditas, quae definitionem circuli fundat et explicat, in ipsis aequalibus radiis perspicitur. En tria iterum distinguenda: radii aequales imaginatione repraesentati; perspicentia necessariae rotunditatis in ipsis radiis aequalibus; et definitio circuli quae ex perspecta rotunditate procedit. At definitio est verbum incomplexum. Perspicere necessariam rotunditatem est actus intelligendi directus. Radii vero aequales, imaginatione repraesentati et lumine intellectus agentis illuminati, quatenus quemlibet intellectum movere possunt ad naturam circuli intelligendam, sunt motivum, quatenus vero hunc vel illum intellectum actu movent, sunt obiectum movens.

Quae accuratius sunt declaranda. Radii aequales facile imaginantur, at necessitas rotunditatis nequaquam imaginari potest. Solo enim intellectu capitur necessarium vel possibile. Et tamen sine radiis nullis in continuo sensibili contentis numquam perspicitur rotunditatis necessitas; quam nisi perspicimus ad definitionem circuli pervenire non possumus nisi forte ad modum puerorum qui nomina et verba memoriter teneant sed ipsam rem nullatenus intelligant.

Qua de causa distingui oportet inter intelligibile potentia et intelligibile actu. Sicut enim colores nocturni sunt potentia

Ad primam rationem additam: ex operationibus accidentalibus humanis non innotescit nisi natura humana, *distinguitur*, ex operationibus eiusmodi etiam innotescit natura humana quando ad primam intellectus operationem proceditur, *conceditur*, ex operationibus eiusmodi non innotescit ipsum subiectum seu persona operans, *negatur prorsus*. Longe enim clarius per operationes nostri sumus conscii quam operationum conscii.

Ad alteram rationem additam: ex nota natura humana non legitime concluditur nisi ad personam humanam. Quasi concludere esset conscientiae, *negatur*, nam per conscientiam non concludimus sed experimur. Quasi natura sit eadem ac persona, *iterum negatur*, nam natura est quo et persona est quod est. Quasi per conscientiam innotesceret natura et non persona, *iterum negatur*; nam natura non innotescit per conscientiam sed ex conscientia per inquisitionem intelligitur; ipsa autem persona per conscientiam se sub ratione experti attingit.

(6) Instatur: per conscientiam Christi humanam non sibi innotescit nisi subiectum quoddam conscie sentiens, appetens, patiens, intelligens, volens, etc. Atqui eiusmodi est notitia sui quae in qualibet persona humana invenitur. Qua de causa dicere personam divinam per conscientiam humanam esse sui consciam nihil est aliud ac dicere personam divinam esse non divinam sed humanam.

Respondetur:

Conscientia Christi humana est *similis* conscientiae nostrae, *conceditur*, nam persona Verbi facta est «similis nobis per omnia absque peccato» (DB 148). Conscientia Christi humana est *eadem* ac alia quaelibet conscientia humana, *negatur*, nam nulla conscientia humana est eadem ac ulla alia sed unusquisque homo habet suam.

Proinde ad conclusionem: dicere personam divinam per conscientiam humanam esse sui consciam est (1) agnoscere personam divinam vere et realiter factam esse hominem, *conceditur*, et (2) addere aliam conscientiam praeter conscientiam divinam, *iterum conceditur*, et (3) tollere identitatem personae quae sui conscia sit per duas naturas et duas conscientias, *negatur*.

Iam vero id quod obicientem fugit est hoc: per conscientiam non solum innotescunt operationes sed etiam ipsa subiecti identitas seu ipsum subiectum sibi identicum; et quamvis in aliis hominibus subiectum sibi identicum (quod ex parte subiecti et sub ratione experti sibi innotescit) non sit nisi homo, nihilominus in Christo homine subiectum sibi identicum (quod ex parte subiecti et sub ratione experti sibi innotescit) est persona divina.

operationibus. Sicut enim persona Verbi est id quod est hic homo, etiam persona Verbi est id quod per has operationes huius hominis sentit, intelligit, iudicat, vult, eligit, etc.

Tertio, cum is qui sentiat conscie sentiat, et is qui intelligat conscie intelligat, et is qui eligat conscie eligat, eo ipso quod persona Verbi est id quod sentit, etiam est id quod conscie sentit, et eo ipso quod persona Verbi est id quod intelligit, etiam est id quod conscie intelligit, et similiter de aliis. Nam « conscius » non addit super ens sed dicit ens in tali gradu perfectionis ontologicae.

95. Quae tamen ut plenius et accuratius intelligantur, considerantur obiectiones quae sequuntur.

(1) Id quod sibi innotescit per operationes finitas et secundum perfectionem finitam harum operationum, non potest esse nisi finitum. Sed secundum assertum primum in sectione praecedenti, persona infinita sibi innotescit per operationes finitas et secundum perfectionem harum operationum. Ergo assertum illud statuit impossibile.

Respondetur:

Ad maiorem: quod sic sibi innotescit, non potest esse nisi finitum, *distinguitur*; si persona divina non potest esse homo, *conceditur*; si persona divina potest esse homo, *negatur*; nam si persona divina potest esse homo, etiam potest esse homo conscius; sicut enim « homo conscius » finitum dicit, etiam « homo » finitum dicit.

Conceditur minor et pariter distinguitur conclusio. Nam assertum primum statuit non impossibile sed ipsum mysterium Incarnationis quo Verbum Dei factum est et homo et quidem homo sui conscius.

(2) Quod nihil personae intrinsicum addit, non potest personam constituere ut consciam sui. Atqui operationes humanae in potentiis accidentalibus humanis elicita nihil ponunt personae divinae intrinsicum. Ergo non possunt constituere personam divinam ut sui consciam.

Respondetur:

Ad maiorem: Quod nihil addit intrinsicum sive ipsi personae sive naturae secundum quam persona est, non potest personam constituere ut consciam sui, *conceditur*; quod ita nihil addit intrinsicum personae ut tamen addat naturae secundum quam persona est, non potest constituere personam ut consciam sui, *negatur*.

Minor contradistinguitur et negantur consequentia et consequens.

de Patre, de Filio, et de Spiritu sancto praedicatur, est actus non notionalis sed essentialis.

Si autem finitus est actus, est accidens quoddam et se habet ad intellectum in actu sicut esse se habet ad ens in actu. Praeterea, sicut esse consequitur formam substantialem, ita intelligere consequitur speciem intelligibilem. Sed species intelligibilis est in genere qualitalis. Sicut ergo esse reducitur ad genus substantiae, ita intelligere reducitur ad genus qualitalis. Denique, omne ens finitum est ab alio tamquam a causa efficiente; et ideo intelligere finitum est ab alio et est pati quoddam, scilicet pati non proprie sed communiter; unde et intellectus possibilis est potentia passiva.

In terminologia quae ex Avicenna derivari videtur, intellectus possibilis, per speciem impressam informatus, est principium actionis vel operationis, et quidem principium formale actionis vel operationis. Quae actio vel operatio est intelligere. Et quamvis in hac terminologia intellectus possibilis per speciem informatus sit potentia activa relate ad actum, actionem, operationem intelligendi, tamen processio ex hac activa potentia ad actum intelligendi non est processio operati sed operationis; nam intelligere se habet ad intellectum per speciem informatum, non ut effectus ad causam efficientem, sed ut perfectio ad perfectibile. E contra, verbum quod est terminus actionis, operationis, actus intelligendi, et ab hac actione, operatione, actu producit, est quoddam operatum seu effectus; unde relate ad verbum, intellectus per speciem informatus est principium effectus vel principium operati, et processio verbi dicitur processio operati.

In terminologia Aristotelica, tum intellectus possibilis tum species qua intellectus informatus sunt principia actus intelligendi. Quae tamen principia, cum actum principiant in eo in quo est actus, neque potentia passiva neque potentia activa nominantur sed natura. Potentia enim passiva est principium motus vel mutationis ab alio in quantum ab alio; potentia vero activa est principium motus vel mutationis in alio in quantum aliud. Quare, intellectus possibilis est potentia passiva per comparisonem ad intellectum agentem; et intellectus agens est potentia activa per comparisonem ad intellectum possibilem. Agit vero intellectus agens et patitur intellectus possibilis in quantum phantasma est instrumentum quo intellectus agens imprimit speciem intelligibilem in intellectu possibili. Praeterea, sicut quod generavit grave vel leve, etiam ea movet secundum locum, ita generaliter agens non solum dat formam sed etiam motum qui formam consequitur; et secundum hoc intellectus agens est movens quaecumque intelligere sequitur speciem intelligibilem.

Cave tamen ab errore vulgari secundum quem movens est solum principium actus. Nam per se movens est aliquid extrinsecum,

APPENDIX II

DE ACTU INTELLIGENDI

Ut verbum interius seu conceptus intelligibiliter emanare possit, omnino necesse est ut ante intelligamus quam verbum seu conceptum inus formemus. Quo in actu priori aliquid sane intelligimus. Neque huius actus obiectum potest esse verbum quod nondum formatum sit. Relinquitur ergo ut intellectus noster non solum conceptualia sed etiam praconceptualia obiecta perspiciat. Secus non quia intelligamus conceptiones formaremus sed, ut docent Scotistae, quia conceptiones inconscio quodam modo formatae essent, intelligere possemus.

Quid ergo de hac quaestione senserit S. Thomas, breviter nunc exponendum est. Neminem enim fugere potest quantis momenti haec quaestio, cum inconscia verbi formatio illam emanationem intelligibilem tolleret, quam SS. Trinitatis analogiam psychologiam esse duximus.

1. *Obiectum.*

Obiectum definitur a S. Thoma secundum habitudinem causalem ad potentiam et actum. Quare obiectum aut est movens quod in potentia actum efficit, aut est terminus qui ab actu producit, aut est finis in quem potentia per actus tendit.

Sum. theol., I, q. 77, a. 3 c: « Omnis enim actio vel est potentiae activae vel passivae. Obiectum autem comparatur ad actum potentiae passivae, sicut principium et causa movens: color enim in quantum movet visum, est principium visionis. Ad actum autem potentiae activae comparatur obiectum ut terminus et finis: sicut augmentativae virtutis obiectum est quantum perfectum, quod est finis augmenti ».

Pariter: *De Ver.*, q. 16, a. 1 ad 13m; *In II de Anima*, lect. 6 § 305; *Q. D. de Anima*, a. 13 c; *Sum theol.*, I-II, q. 18, a. 2 ad 3m. *Theol. Stud.*, VIII (1947), 433 ss.

Respondetur principium quod operatur semper esse personam cum respectu ad naturam; unde operans semper est aut Christus ut Deus aut Christus ut homo; vel iterum operans semper est persona divina aut qua subsistens in divina natura aut qua subsistens in humana natura.

Cuius responsionis prima ratio est quod quae secundum abstractionem mentis considerationem ponuntur, sicut non sunt, ita non operantur. Sed persona divina non est sive sine divina natura sive (post incarnationem) sine humana natura. Ergo persona divina non est quod operatur sine respectu sive ad divinam sive ad humanam naturam.

Altera deinde est ratio quod « esse et operari est personae a natura »⁶.

Tertia est ratio quae ex ipsa notione principii petitur. Principium enim est primum in aliquo ordine. Unde in ordine essendi distinguuntur et principium quod est et principia quibus est; et principium quod est est primum in ordine resolutionis cum ab ente concreto incipitur et ad causas quibus componatur procedatur; in ordine autem compositionis prima sunt principia quibus componatur et ad ipsum compositum terminatur. Similiter in ordine operandi distinguuntur principium quod operatur et principia quibus operatur; et in ordine resolutionis primum est ipsum operans a quo incipit resolutio; in ordine autem compositionis prima sunt principia quibus operatur (natura, potentia, habitus).

Iam vero haberi non potest primum in aliquo ordine sine ullo ordine; et haberi non potest ordo sine respectu; et ideo cum principium sit primum in aliquo ordine, haberi non potest principium quod operetur sine respectu ad principia quibus operatur.

93. *Utrum persona Verbi exerceat causalitatem efficientem in operationes suas humanas.*

Quae quaestio tripliciter intelligi potest. Primo modo, ut persona Verbi nude spectata sine respectu ad naturam sive divinam sive humanam exerceat causalitatem efficientem in operationes suas humanas.

Alio modo, ut persona Verbi prout in divina natura subsistat exerceat hanc causalitatem efficientem.

Tertio modo, ut persona Verbi prout in humana natura subsistat exerceat causalitatem efficientem in proprias operationes humanas.

Si primo modo intelligitur, negative respondetur. Nam id quod exerceat causalitatem efficientem, est id quod operatur secundum quod operatio intelligitur de operatione effectus. Iam vero, secun-

⁶ *Sum. theol.*, III, q. 19, a. 1 ad 4p.

Sum. theol., I-II, q. 110, a. 2 c. Secundo, inter intellectum creatam et essentiam divinam existit quaedam proportio potentiae ad actum; ita *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 1 ad 4m. Tertio, qualis sit haec proportio, disputatur maxime in quaestione de potentia obedientiali. Quae admodum vero haec obedientialis potentia concipienda sit, aliquatenus dependet ex notionibus sequentibus de potentia activa et passiva.

5. *Potentia activa et passiva.*

Circa vocabula, activum et passivum, duplex adhibetur terminologia in scriptis S. Thomae.

Alia Aristotelica secundum quam potentia activa est principium motus vel mutationis in alio secundum quod aliud, et potentia passiva est principium motus vel mutationis ab alio secundum quod aliud. Et secundum hanc terminologiam adequate distinguuntur natura (principium motus in eo in quo est) et potentia activa vel passiva (principium motus in alio vel ab alio).

Alia est terminologia quae ab Avicenna derivari videtur secundum quam potentia passiva est potentia prima seu simpliciter dicta (v. g. materia prima, intellectus possibilis) et potentia activa est forma. Ita *De Potentia*, q. 1, a. 1 c. Et secundum hanc terminologiam coincidit natura (sensu Aristotelico) cum potentia passiva et potentia activa.

Praeterea, in terminologia quae ex Avicenna est, duplex distinguitur aspectus in potentia activa seu forma. In quantum forma refertur ad actum secundum (actionem, operationem, energiam) dicitur principium actionis vel operationis, vel principium formale actionis vel operationis. In quantum forma ulterius refertur ad aliquid aliud praeter actum secundum quod mediante hoc actu producit, dicitur principium effectus, vel principium operati.

Praeterea, cum forma sit et principium actionis et principium effectus, perpetuo recurrit distinctio inter duplicem actionem, duplicem operationem, duplicem motum, vel operationem et motum, vel actionem et factionem, uti semper agitur de actu secundo et de ulteriori quodam effectu. Cf. *C. Gent.*, II, 1 §§ 3-6.

Praeterea, ex eodem fonte oritur distinctio inter processionem operationis et processionem operati [al., processum operationis et processum operati] *De Veritate*, q. 4, a. 2 ad 7m.